



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

42. Ut judicium nostrum &c. Constitutio moderatoria Indultorum testandi
S. R. E. Cardinalibus Romani Pontificis Consanguineis, & forsan aliis etiam
non Cardinalibus, nec Consanguineis in forma ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Declaratio Pontificis super nullitate Edictorum d. Prætoris tamquam à potestate incompetente.

sufficienter expressis haberi volumus, plenius dicitur contineri.

§. 3. Hinc est, quod Nos ex debito Pastoralis officii, quod humilitati nostræ, meritis licet, & viribus longè impari, commisit divina dignatio, Jurisdictionem Ecclesiasticam prædictam à perniciosi hujusmodi Laicorum conatibus illasam, & illibatam tueri, & conservare cupientes, ac memorati Innocentii Prædecessoris vestigiis inhærentes, nec non omnium, & singulorum, quæ in præmissis, seu eorum occasione quovis modo acta, & gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus similiter præ plene, & sufficienter expressis, & exactè specificatis habentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum dictæ S. R. E. Cardinalium iisdem Sacris Ritibus præpositorum Consilio, Edicta præfata à memorato Prætoro Civitatis Cremonensis super observantia festi ejusdem Sancti Dominici (sic præmittitur) promulgata, aliave quæcumque in præmissis, seu eorum occasione in præjudicium Jurisdictionis Ecclesiasticæ quovis modo acta, gesta, & ordinata, cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quodcumque secuturis, penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, ac à non habente potestatem attentata, & de facto, præsumpta, nulliusque omnino roboris, & momenti esse, & perpetuo fore, auctoritate præfata tenore præsentium declaramus; Et nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula, salvis tamen ulterioribus provisionibus in eisdem præmissis, contra quoscumque, etiam specificata, & individua mentione, & expressione dignos à Nobis, & hac Sancta Sede quodcumque, & quomodocumque capiendis, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi debere.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. præfate Cardinales, etiam de latere Legatos, aliove quoslibet quacumque præminencia, & potestate fungentes, & functuros; Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ memoratus Innocentius Prædecessor in suis litteris præfatis voluit non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die prima Septembris 1693, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

J. F. Card. Albanus.

minos, & formam illorum omnibus aliis Cardinalibus concedi solitorum, & respectivè confirmatoria motus proprii Clementis IX. super extensione hujusmodi Indultorum ad favorem omnium Cardinalium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

UT judicium nostrum de vultu Dei prodeat, & oculi ejus videant æquitates, acceptionem personarum, quæ apud eundem Deum non est, nullis humilitatis nostræ suffragantibus meritis, sed quantum Nobis ab Alto concessum est, arcere impense studuimus, illamque etiam à quibusdam Indultis, quæ à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessa accepimus, seu quæ in posterum concedentur, congrua moderatione eliminare desideramus; Nam cum unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra, grave videri non debet, si qui in Ecclesia uni Domino famulantur, una eademque libertate congaudeant, & qui præsertim in eodem gradu sunt constituti, aliquando providis sanctionibus ad æqualitatem reducantur, ut sicut pari dignitate præfulgent, dispari nimis privilegio, seu indulto non distinguantur: Pondus enim, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.

§. 1. Cum itaque præfati Prædecessores nostri S. R. E. Cardinalibus, qui pro ipsius Ecclesiæ statu salubriter dirigendo assidue laborare non cessant, facultatem de fructibus Ecclesiasticis, & de bonis exinde, seu aliis quæsitis disponendi, tam in ultima voluntate, quam aliis, & respectivè eorum hæredibus ab intestato in præmissis succedendi, sub quadam tamen moderata, & congrua forma de benignitate Sedis Apostolicæ concedere consueverint.

§. 2. Vice autem versa nonnulli ex iisdem Prædecessoribus hujusmodi moderationem, seu formam ampliantes, suis sive veris, sive adscitis Consanguineis, vel Affinibus, & forsan etiam nonnullis aliis S. R. E. Cardinalibus longè majora indulta, & cum amplioribus facultatibus, modis, circumstantiis, clausulis, cautelis, & derogationibus concesserint.

§. 3. Et propterea sicut aliis nostris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, decimo Kal. Julii expeditis litteris modum circa donationes, & reddituum Ecclesiasticorum distributionem in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis pro tempore existentis inviolabiliter servandum salubri moderatione præscripsimus, ita etiam hujusmodi Indultorum ampliationibus, seu differentiis, ut præfertur, inter ejusdem S. R. E. Cardinales, hac nostra speciali Constitutione occurrere, & opportune providere cupientes.

§. 4. Motu proprio, non ad cujusquam Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, quæcumque, & singula Indulta testandi, seu aliis disponendi, & respectivè ab intestato succedendi, omnibus, & singulis Cardinalibus præfatorum Romanorum Pontificum Prædecessorum; qui illa concesserunt Consanguineis, vel Affinibus, seu illorum loco adscitis, vel adscitis, & forsan etiam nonnullis aliis quomodocumque, qualitercumque, & quodcumque, sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, modis, cautelis, circumstantiis, qualitatibus, & cum quibuscumque, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, & ex quacumque causa, etiam meritorum, seu

Exordium à laude æqualitatis privilegiorum inter æquales in Dignitate.

Narrat Pontifices Prædecessores consuevisse concedere Cardinalibus facultatem disponendi de fructibus Ecclesiasticis.

At verò aliquos ad favorem Consanguineorum hanc formam ampliasse.

Subnequit, quod uti in largitionibus ad favorem nepotum modum imposuit.

Ita intendit in his etiam Indultis effrenatas ampliaciones, & differentias moderari.

Clausula sublata cū decreto irritanti.

Fides Transumptorum.

Dat. 1. Sept. 1693. P. A. 3.

XLII.

Constitutio moderatoria Indultorum testandi S. R. E. Cardinalibus, Romani Pontificis Consanguineis, & forsan aliis etiam non Cardinalibus, nec Consanguineis in forma ampliori, & extraordinaria concessorum, & concedendorum, cum reductione hujusmodi Indultorum ad ter-

remune-

Indulta
huiusmodi
effrenata
reduci ad
terminos
formæ or-
dinariæ
aliis Car-
dinalibus
concedi
solita.

Et cassat
in eo quod
excedunt.

Mandat in
posterum
non con-
cedi, nisi
hac mode-
ratione
servata.

Aliter con-
cessa etiam
cum præ-
sentium
derogatio-
ne non suf-
fragantur.

Subdit
congruita-
tem faven-
di Cardi-
nalibus,
sed pari-
formiter.

Ex motu
proprio
Clementis
IX. facul-
tates dispo-
nendi de
fructibus
naturalibus
incom-
sumptis,

remuneracionis laborum, & onerum, & alias quomodolibet infimul, vel ad partes, & semel, pluries, & quantiscunque vicibus, & modis concessa, innovata, & confirmata, eorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, prorsus, omnino, & irrefragabiliter moderamur, & ad terminos, modum, & tenorem, & formam ordinariam indultorum testandi, seu alias disponendi, & respectivè ab intestato succedendi, omnibus aliis ejusdem S. R. E. Cardinalibus concedi solitorum penitus, omnino, ac in omnibus, & per omnia reducimus.

§. 5. Revocantes, cassantes, ac irritum prorsus, & inane remanere, fore mandantes, quidquid in indultis ad favorem Cardinalium Consanguineorum, seu Affinium, & forsan nonnullorum aliorum, ut præfertur, contra, præter, vel ultra modum, & formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in prædictis servari solitam fuerit quoquomodo concessum, indultum, seu elargitum, perinde ac si præfata indulta ad favorem prædictorum Cardinalium Consanguineorum, vel Affinium, & forsan aliorum, ut præfertur, in hac parte; seu in his partibus non emanassent.

§. 6. Ad hæc cupientes super præmissis, & circa ea similiter in posterum providere, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus statuimus, decernimus, & ordinamus, quod illud idem, quod superius circa concessa indulta constituimus, & mandavimus, similiter in quibuscunque indultis, & facultatibus huiusmodi, quæ deinceps singulis ejusdem S. R. E. Cardinalibus Romani Pontificis pro tempore viventis, ut præfertur, Consanguineis, vel Affinibus sive veris, sive adlectis, & adscitis, & forsan etiam nonnullis aliis etiam per Nos, & Romanos Pontifices Successores nostros, dictamque Sedem Apostolicam pro tempore concedentur, omnino, & ad unguem debeat observari.

§. 7. Quodque huiusmodi indulta, seu omnes literæ Apostolicæ desuper tam per Cancellarium quam per Cameram Apostolicam, ac etiam per viam secretam, sive de Curia, vel sub Annulo Piscatoris, sive alias absque moderatione, reductione, aliisque præfatis, ac alias præter, vel contra formam, & tenorem præsentis Constitutionis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam cum præsentium speciali, & expressa derogatione, ac sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie pro tempore concedendæ, seu expediendæ, in ea parte, seu in illis partibus, quæ erunt contra, præter, vel ultra formam ordinariam cum omnibus aliis Cardinalibus in prædictis servari consuetam, nullius sint roboris, & momenti, nec cuiquam, ac si non emanassent, suffragentur.

§. 8. Cæterum perpendentes, universum ejusdem S. R. E. Cardinalium Collegium, tanquam Senatam Universalis Ecclesiæ, in excolenda Vineâ Domini Nobiscum assidue collaborare, ac propterea operæ pretium, & congruum fore, ut omni personarum acceptione sublata, eosdem omnes, & singulos Cardinales potius amplioribus privilegiis, & gratiis circa indulta huiusmodi pariformiter complectamur, & communiamus.

§. 9. Cum itaque fel. recod. Clemens Papa IX. Prædecessor Noster privilegia, & facultates testandi præfatorum S. R. E. Cardinalium ad illos etiam fructus extenderit, & ampliaverit, qui si naturales essent, & à solo, in quo sunt producti, legitime, & juxta rei naturam fuissent

sublati, & à manibus Colonorum, vel aliorum quorumcunque debitorum percepti, licet in horreis Ecclesiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconsumpti, vel nullo modo aliis ipsorum Cardinalium bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati reperirentur, si verò civiles essent, postquam dies solutionis advenisset, fuissent per quoscunque debitores quomodolibet persoluti, & ad manus Cardinalium, vel ad eorum Ministros pervenissent, seu in aliquo loco publico ad eorundem creditum fuissent depositi.

§. 10. Idque etiam Prædecessor servari voluisset in terminis quomodolibet debitis pro afflictibus bonorum, & iurium quorumcunque, quos in dictis facultatibus comprehendere voluit, & mandavit, si modo quo supra fructus tam civiles, quam naturales Conducutoribus, & Affluariis locati, & concessi, per illos fuissent percepti, quamvis termini solutionis afflictuum per Locatores fuissent potestatem conventi, & alias, prout in ejusdem Clementis cedula Motus proprii sub Dat. pridie Kal. Martii, Pontificatus sui anno primo uberius continetur.

§. 11. Hinc est, quod motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus præfata cedulam Motus proprii cum omnibus, & singulis in ea confirmamus, & approbamus, sed quia accepimus, eandem cedulam non fuisse pacifice observatam, seu illius executionem per varias interpretationes fuisse controversam, & retardatam, omnino volumus, & quibuscunque non obstantibus mandamus, illam inviolabiliter observari, & sublata quacunque contraria interpretatione omnimodæ executioni demandari, præsentibus, & pro tempore existentibus Cameræ nostræ Thesaurario Generali, Clericis Præfidentibus, Commiliario pariter Generali, cæterisque dictæ Cameræ Officialibus, & Ministris, & quibuscunque aliis enixe prohibentes, ne in totum, vel aliqua in parte etiam minima effectum, & executionem memoratæ cedulæ Motus proprii, necnon præsentis nostræ Constitutionis in hac parte quoquomodo impediunt, vel retardent, minusque ad supradictorum fructuum in præfata cedula Motus proprii, ut præfertur, contentorum incamerationem procedant, nec pro illis aliquam compositionem, ratam, portionem, seu quantitatem etiam minimam quomodolibet sub quovis prætextu, causa, qualito colore, & contraria interpretatione consequi, seu præterdere valeant.

§. 12. Et nihilominus ad majorem cautelam omnia, & singula, quæ in eadem cedula continentur, hac in perpetuum valitura Constitutione iterum, & ex integro plenissime, & amplissime servari mandamus, decernimus, & sancimus; salva tamen, & firmâ in cæteris, quæ præfata cedulæ dicti Clementis Prædecessoris non adversantur, remanente Constitutione piæ memor. Urbani Papæ VIII. etiam Prædecessoris Nostri quoad fructus beneficiorum inexactos sub Data quinta Aprilis anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, & Pontificatus sui quinto, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, in omnibus, & per omnia plenissime præsentium tenore confirmamus, approbamus, & innovamus.

§. 13. Quod si forsan aliqui quacunque etiam Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, vel alia qualibet dignitate, gradu, vel munere fungentes, seu functuri, huiusmodi, vel etiam in aliqua parte similia indulta, seu facultates quomodocunque, qualitercunque, & quandocunque, & sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac quibuscunque etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & ex quacunque causâ etiam

ac tantum
perceptis
de manu
Colonorum.

Facultas
etiam de
Civilibus
solitis Car-
dinali, Mi-
nistris vel
depositis.

Ampliat
quamvis
termini af-
flictuum
conventi
sunt post-
cipati.

Confirmat
expres-
sè motus
proprius
Clementis
IX.

Subdit di-
ctum motu
fuisse con-
trover-
sum.

Mandat
servari sub
lata inter-
pretatione
contraria.

Prohibet
incamerari
compre-
hensa in d.
motu. nec
ratam præ-
tendi à Ca-
mera.

Iterum
servari ma-
dat d. mo-
tum pro-
prium.

Præservat
Constitu-
tionem Ur-
bani VIII.
in iis quæ
non con-
trariantur
d. motui
proprio.

Ad eosdem
terminos
præsentis
Constitu-
tionis refe-
retur indulta
quæ concessa
sunt, aut conce-
dentur
aliis.

meritorum infimul, vel ad partes, & semel, vel pluries ab eadem Sede Apostolica ante hac assequuti fuerint, seu in posterum assequuntur, conveni- re pariter exilimamus, ne iidem maioribus fa- voribus, & gratis, quam prædicti S. R. E. Cardinales, potiantur, & gaudeant. Ideoque motu, & potestatis plenitudine paribus, si quid in hu- iusmodi concessis, seu concedendis indultis for- san contineretur, quod memoratis Cardinalibus concedi, ut præfertur, non consueverit, in om- nibus, & singulis illis partibus aliquid ultra, seu contra tenorem, & formam ordinariam cum dd. Cardinalibus fervari solitam, fuerit quomodolibet concessum, concedetur iisdemmet modo, forma, & cum revocationibus, aliisque præmissis mode- ramur, & ad terminos, seu limites, & formam ordinariam dd. Indultorum omnibus Cardinalibus, ut præfertur, concedi solitorum, in omnibus, & per omnia tenore præsentium reducimus.

Decreta
præserva-
tiva, &
roborantia

§. 14. Decernentes, easdem præsentis literas, & in eis contenta quæcunque etiam ex eo, quod omnes, & singuli prædicti, ac alii quicunque cuiusvis status, gradus, ordinis, conditionis, præ- eminentiæ, & dignitatis in præmissis quomodoli- bet jus, vel interesse habere prætendentes, iisdem præmissis non consenserint, nec ad ea vocati, seu auditi fuerint, tamen si fuorum indultorum, vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari semel, vel pluries quoquo modo debuissent, aut ex alia quacunque, quantumvis pia, iudicia, privilegia- ta, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda fo- ret, causa, & occasione, colore, seu prætextu, titulo etiam oneroso, & capite etiam in Corpore Juris clauso ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensu, alio- ve quolibet, etiam maximo, substantiali, essentia- li, & formali, aut incogitato defectu, notari, im- pugnari, invalidari, retractari, rescindi, in con- troversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa aperiitionis oris, restitutionis in inte- grum, aliudve quodcunque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, vel impe- trato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, quæpiam in iudicio, vel extra illud uti, seu fe juvare nullatenus posse, sed ipsas præsentis literas, & in eis contenta quæ- cunque semper, & perpetuò firma, valida, & effi- cacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quan- docunque, & quomodocunque spectabit, invio- labilitate, & inconcusse observari.

Clausula
sublata
cum de-
creto irri-
tanti.

§. 15. Sicque, & non aliter per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Camera Præsidentes, Clericos, & alios quoscunque quavis auctoritate, præemi- nentia, & potestate fungentes, & quomodocunque functuros: Sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi, facultate, ju- dicari, & definiri debere; Irritum quoque & ina- ne quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit at- tentari.

Deroga-
tiones.

§. 16. Non obstantibus præmissis, ac quate- nus opus sit, nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis, & signanter illâ, quod Cardinales in Constitutionibus, & Regulis per Nos edendis non comprehendantur, nisi illæ eorumdem Cardina- lium favorem concernant, vel ipsæ edendæ Con- stitutiones de illorum, seu majoris partis eo- rum consilio editæ fuerint, ac etiam de jure quæsito non tollendo, illisque omnibus, quæ præfati Urbanus, & Clemens Prædecessores in memoratis Constitutione, & Cedula motus pro-

prii respectivè voluerunt non obstare, necnon re- col. mem. Pii Papæ IV. pariter Prædecessoris Nostri de gratis quæcunque interesse Camera prædictæ concernentibus, in eadem Camera, ejusque libris intra certum inibi expressum tem- pus præsentandis, insinuandis, & registrandis, itaut easdem præsentis literas ibidem præsentari, insinuari, aut registrari nunquam necesse sit, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & dictæ Camera, aliisque quibus- libet decretis, statutis, usibus, styliis, consue- tudinibus, etiam juramento, confirmatione Apo- stolica, vel quavis alia firmitate roboratis; Privi- legiis quoque, & indultis, & literis Apostolicis quibuscunque, sub quibusvis tenoribus, & formis & cum quibuscunque etiam derogatoriis, aliis- que efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clau- sulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, ac aliis quomodolibet in contra- rium præmissorum concessis, editis, confirmatis, & approbatis, & quantiscunque vicibus innova- tis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro il- lorum sufficienti derogatione de illis, eorumque toris tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæli- bet alia expressio habenda, aut aliqua alia exqui- sita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasio- nes præsentibus pro plenè, & sufficienter, ac ex- actissimè expressis, insertis, servatis, & specifica- tis respectivè habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse, ac plenissimè, & amplissimè deroga- mus, & derogatum esse volumus, & manda- mus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 17. Volumus autem, ut earundem præ- sentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscrip- tis, & Sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica Di- gnitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extrâ illud habeatur, quæ haberetur præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides
Transum-
ptorum.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc nostrarum moderationum, redu- ctionum, revocationis, cassationis, mandatorum, statuti, decretorum, ordinationis, confirmatio- num, approbationum, voluntatum, prohibitionis, sanctionis, innovationis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pau- li Apostolorum ejus se noverit incursum. Da- tum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno In- carnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo no- nagesimo tertio, Idibus Octobris Pontificatus No- stri Anno Tertio.

Sanctio
poenalis.

Dat. 15.
Oct. 1693.
P. A. 3.

B. Card. Prodatarius

J. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✕ plumbi

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die vero decima sexta mensis Octobris, Pon- tificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Do- mini Nostri, Domini INNOCENTII Divinâ Pro-

Publicatio

videntiâ

videntiā Papa XII. Anno Terrio; Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Jo. Baptistam de Comitibus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Cursorem.

Franciscus Antonius Simoncellus Curs. Magister.

XLIII.

Ereclio Gubernii Terrarum Civitatis Vetulæ, & Tulphæ, cum superintendencia Civitatis Cornetanæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ab intentione confulendi gubernio locorum Pontificiæ Ditionis.

Narrat alias alia occasione suppressisse Gubernium Centum Cellarum.

Narrat infraffasse privilegia pro Portu ejusdem loci.

Narrat in Terra Tulphæ Gubernatorem deputari consuevisse à Clericis Camera.

Tulpham ejusque Comitatum disjungit à Jurisdictione Clericorum Camera.

IN supremo militantis Ecclesiæ Solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam constituti, ad ea propensis studiis intendimus, per quæ Terrarum Temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ditionis decor amplietur, illarumque Hominum, & Incolarum status salubriter dirigatur.

§. 1. Cum itaque Nos nuper per nostram de super editam Constitutionem, ne salutari, quam in ea erga Nostros, Successorumque Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium secundum carnem propinquos, circa bonorum, & redituum Ecclesiasticorum, ac ad hanc Sanctam Sedem, & Cameram Nostram Apostolicam spectantium, distributionem, servari præscripsimus, rationi, ac disciplinæ, per nimis magna stipendia, seu honoraria, alias nonnullis Sedis prædictæ Officiis, seu muneribus, quæ eorundem Romanorum Pontificum Consanguineis, seu Affinibus, ut plurimum concedi consueverant, assignata, fraus fieret, certa inibi expressa Officia, seu munera hujusmodi, cum omnibus, & singulis illorum, & cujuslibet eorum iuribus, prærogativis, stipendiis, salariis, & emolumentis quibuscumque, atque inter hæc Gubernatoris Terræ Nostræ Centum-Cellarum, sive Civitatis Vetulæ Viterbiensis Diocesis, Officium perpetuò suppresserimus, & extinxerimus.

§. 2. Aliundè verò circa Terra prædicta, tametsi antiquis, iisque amplissimis, quinimò etiam per Nos innovatis, auctisque celeberrimi Portus privilegiis, copiosoque non tam Indigenarum, quam Exterorum ad illam advenientium numero insignis existat, per unum Judicem Locumtenentem nuncupatum gubernata fuerit, ac proinde ejus honorificentia, & utilitati, modo, & forma, per eandem nostram Constitutionem minime vetitis, uberius prospiciendum sit.

§. 3. Et sicut accepimus, etiam Terra nostra Tulphæ Sutrinæ Diocesis Incolarum non minus multitudine, quam aliis nominibus celebris, per alium similiter Judicem Commissarium nuncupatum, ab uno ex dilectis filiis Cameræ prædictæ Clericis Præsidentibus Terræ hujusmodi pro tempore Gubernatore, singulis annis deputari solitum, regi, & gubernari consueverit.

§. 4. Hinc est, quod Nos prospero, feliceque Terrarum prædictarum regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, per amplius consilere volentes; Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, præfatam Terram Tulphæ, ejusque Comitatum, & Districtum, ab eorundem Clericorum Præsidentium, ac cujuslibet eorum Jurisdictione sejungimus, & separamus, Commissarii in eadem Terra Tulphæ de præfenti existentis officium, necnon illius nomen, titulum, denominationem, essen-

tiam, & naturam perpetuò supprimimus, & extinguiamus.

§. 5. In præfatis verò Civitatis Vetulæ, & Tulphæ Terris, illarumque Comitatibus, & Districtibus, unum Gubernium perpetuum sub superintendencia Venerabilium Fratrum nostrorum, nunc, & pro tempore existentium ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consultationibus Civitatum, & Terrarum Status Nostri Ecclesiastici præpositorum, pro uno Gubernatore ad nostrum, & Sedis prædictæ beneplacitum constituendo, & deputando, qui in utraque, vel alterâ Signaturâ nostrâ Referendarius, aut noster, & dictæ Sedis Notarius Protonotarius nuncupatus, de numero participantium, seu alterius Prælatuæ titulo insignitus existat, ac hyemali quidem, verpoque tempore in memoratâ Terrâ Civitatis Vetulæ, in Domo per Cameram prædictam hætenus assignatâ pro tempore existenti Gubernatori Armorum dictæ Terræ, cui proinde, loco domus hujusmodi, ultra ejus consuetum stipendium, annua sexaginta scuta monetæ Romanæ, pro pensione alterius domus, per eum in eadem Terrâ Civitatis Vetulæ, arbitrio suo conducendæ, dari, & præfari mandamus, residere debeat; æstivo autem, & autumnali tempore, etiam in dicta Terra Tulphæ residere possit, omnimodamque jurisdictionem, in omnibus, & singulis causis civilibus, ac meris, & mixtis, dilectorum filiorum Universitatum, & Hominum Terrarum hujusmodi, illarumque Comitatum, & Districtuum, etiam quoad Officiales, Ministros, milites, nautas, remiges, cæterasque personas quocumque nomine nuncupatas, tam in Triremibus nostris Pontificiis, earumque Classe, quam in præsidio supradictæ Terræ Civitatis Vetulæ, nunc, & pro tempore existentes, plenè, & liberè habeat, & exerceat.

§. 6. Salvâ tamen quoad Officiales, ministros, milites, aliosque præfatos in gravioribus causis, nempe in quibus imponenda erit poena corporis afflictiva, dilectorum filiorum Cameræ prædictæ Thesaurarii Generalis, quippe cui alias curam prædictarum Triremium Pontificiarum, earumque Classis, sub certis modo, & formâ tunc expressis demandavimus, ac Commissarii Generalis Armorum Status Ecclesiastici supradicti nunc, & pro tempore existentium respectivè autoritate, & superioritate, itaut illos Gubernator prædictus, in iisdem causis gravioribus respectivè, ut præfertur, consulere debeat, tenore præsentium erigimus, & instituimus.

§. 7. Cæterum ad ea, quæ ad ipsius Gubernii sic erecti, & instituti, Jurisdictionis, & dignitatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, eidem Gubernio, prævia Civitatis nostræ Cornetanæ ejusque Comitatus, & Districtus separatione, & dismembratione, à quacumque Civitatis pariter nostræ Viterbiensis pro tempore existentis Gubernatoris superioritate, tam ipsius Civitatis Cornetanæ, illiusque Comitatus, & Districtus prædictorum, ac superintendentiam, itaut pro tempore existens Terrarum prædictarum Gubernator, in Civitate Cornetana, ejusque Comitatu, & Districtu præfatis, cum titulo, & denominatione Superintendentis, eandem penitus jurisdictionem, quam prius inibi Civitatis Viterbiensis Gubernator hujusmodi habere, & exercere consueverat, pari modo, & absque ulla proflus differentia habere, & exercere debeat, harum serie conjungimus, unimus, & incorporamus.

§. 8. Ipsi autem Gubernatori, ac Superintendenti provisionem mensuram sexaginta scutorum monetæ supradictæ, pro rata scilicet viginti duorum scutorum hujusmodi, ex salario alias Auditori pro tempore existenti Triremium prædictarum solvi solito, pro residuali verò summa ex redditibus, & proventibus, furni panis venalis dictæ Terræ Civitatis Vetulæ, donec ali-

Pro Centum Cellis, & Tulphæ statui Gubernatorem Prælatum sub Sac. Consulta.

Domus pro Gubernatore, & tempora residendi in uno, & altero loco

Jurisdiclio d. Gubernatoris in omnes.

Præservantur Jurisdiclio Theaurarii Generalis in gravioribus.

Eidem Gubernatori attribuit superintendiam Corneti dismembrando à Gubernio Viterbiensi.

Stipendium pro dicto Gubernatore superintendente.